


POEMATA

MISCELLANEA.



LONDINI
Excudebat W. I.
Anno Dom. 1612.

1 Conamina quædam, ſeu verſiones Pſalmorum aliquot Davidis.

2 Euchariſtichon Deo opt. max. pro Salute mirè bis eodem Anno reſtitutâ.

3 Κατόπτρον ὑπερηφανίας. *Speculum Superbiæ.*

4 Ecloga ad Mæcenatem.

5 De lite inter Med. Lond. & Antonium, de Auro potabili Epigramma.

Ad



Ad Sereniſsimum & Illuſtriſſimum HENRICVM FREDERICVM Walliæ Principem.


(*⁎*)



Væ panxit ſacrâ diuina poëmata linguâ,
Rex olim vates, Principe digna legi.
Verum indignus ego (fateor) qui Regia plectra
Dauidis, tanti in Principis aure ſonem.
Accipere at placido rudia hæc conamina vultu,
Te dignum (Princeps inclyte) viue, vale.

Tuæ Celſitudini deuotiſſimus.

Fr. H.





Psalmus. 1.


Oelix qui patulas præclusit fortitèr aures
Consilijs nequam, vitiorum tramite lato
Qui nunquam incessit prudens, qui scommate salso
Insulsus nunquam confodit corda piorum.
Ast in lege Dei vitam, moresque tuetur,
Ceu in speculo faciem, sese componit ad illam,
Illâ se oblectat, noctesque, diesque reuoluens.
Talis hic, vt pingui crescens per amæna fluenta
Arbor agro, quæ fronde viret, quæ flore nitescit,
Luxuriat fructu sempèr, neque sydera Cancri
Vrentis metuens, gelidæ neque frigora brumæ.
Impius è contrà glumæ assimilabitur aptè,
Quam ventus vacuas hinc atque hinc spargit in auras.
Sic (ô) sic Stultæ fiet, turbæque rebelli,
Quæ Cœli intrabunt speciosa Palatia nunquam.
Hæc justis sanctisque patent, occlusa prophanis
Quippè pios certum est, oculis spectare benignis
Cœlorum Dominum: Sontes sed destinat iræ
Et meritis pœnis iustissimus Arbiter Orbis.

Psal. 12.

SVrge (Deus) succurre tuis, cadit vndique justus,
Et pius, his Terris Pietasque Fidesque relictis,
Cœlestes cœlum Diuæ petiêre, prophanos
Exosæ mores hominum: nam retia tendit
Fratri quisque suo: dulci circumlita melle
Verba fluunt, vultus placidus, gestusque benignus,
Aspidis ast intùs latet imo in pectore virus.
Diuitias cuncti instabiles mirantur, & omni
Obsequio dignas reputant, Aulasque potentum
Ceu Muscæ infestant palpones, turpiter illis
Arrident, magno quicquid fecêre boatu
Collaudant, nigro signandum stigmate forsan:
Sic vestire solent niueo virtutis amictu
Omne scelus, portenta hominum, pestesq; Regentum.
Palpantes verò linguas, tumidasque sonantes
Ampullas Deus abscindet, flammisque dicabit.
Quippè beant animas proprias, sibi prospera spondent
Singula: num quisquam nobis dominabitur (aiunt)
Aut fræna inijciet linguis? Agnoscimus Eugè
Nos nullum imperium, aut Dominum, juga nulla fere-
Sed crebros propter gemitus, planctusq; piorum, (mus.
Surgam (ait Omnipotens) hostesque vlciscar, & ipsis
Præstabo æternam splendenti in Luce quietem.
Verba Dei argentum referunt quod septiès ignem
Expertum, magis atque magis splendescere natum est.
Nunc quoniam spondent tua sacra Orâcla salutem,
Protege dilectos, Mundi calcato Tyrannos,
Qui vano Cœlos studio insanoque lacessunt.

Psalmus. 23.

PAstorem agnosco Iouam qui singula largâ
Suppeditat dextrâ, humanus quæ postulat vsus.
Ille mihi Caulam viridanti fixit in aruo,
Murmure quem placido saliens intersecat amnis.
Hinc me nulla vrit sitis, aut ieiunia torquent
Tristia : semper adest pleno mihi Copia cornu.
Quodsi quando ægro languescunt pectore vires,
Ille manus adhibet medicas, redditque salutem.
Inde ego nec portas mortis, neque Tartara Ditis
Atra exhorresco : virgâ me corripit ille
Errantem, rectáq; pedo me dirigit albo.
Mensa auro, argentoq; nitet, lautisq; referta est
Et varijs dapibus, mihi plenis vina ministrant
Asseclæ cyathis, (spectantibus hostibus) alto
Vertice ad extremas stillant mihi balsama vestes.
Ioua erit ergo mihi semper Deus; illius Aulâ
Aetatem lætans omnem spatiabor, ouansq;.

Psalm. 112.

QVi timet æternum Iouam, qui diligit omni
Affectu legem diuinam, ille, ille beatus.
Istius in terris sancta, & generosa propago
Florebit, domus ipsa bonis plenissima, multis
Perdurat Seclis stabilis, nomenq; perennat.
Gaudia in aduersis sentit, lux clara refulget

In tenebris justo, quoniam fuit ille benignus
Fratribus afflictis; fouet hunc Clementia cœli
Atque pias reddit magno cum fœnore merces.
Deficit huic animus nunquam, quià nomen in Albo
Sanctorum agnoscit scriptum; neq; iussa Tyranni
Sæua exhorrescit, neq; acerbæ nuntia mortis
Intrepidus metuens, hostes sed despicit omnes:
Pauperibus fuerat quondam solamen: amore
Summo erit hic viuus, suauemque relinquit odorem
Venturę ætati: celebrant pia facta Nepotes
Vnanimi assensu, rumpantur vt ilia iniquo
Inuidiâque fremat dentes, & tabe liquescat.

Psalmus. 131.

ALtum ego non spiro, vultu non temno superbo
Afflictos, Rebus nunquam me immisceo magnis:
Sed quasi materno depulsus ab vbere paruus
Filiolus, tacitus sileo, placidéque quiesco.
Tu sancta Isaci Soboles confidito Rupi
Seclórum, Clypeus tuus hic & Robur in æuum.





Eucharisticon Deo opt. max. pro Salute mirè (si non miraculose) bis eodem Anno restitutâ.



Mens mea (quam nuper seruauit faucibus Orci
Omnipotens, mortisque ipso de margine traxit)
Diuinas gestit laudes celebrare, sacrisq;
Thura adolere Aris, meritas et soluere grates:
O quàm te memorem (Deus optime, maxime) cuius
Infinita replet bonitas, cœlumq;, solumq;:
Qui donis cumulas hostes, qui diligis omne
Semen Adæ, quamuis durâ cervice rebelle,
Ingratumque nimis; proprios super omnia alumnos,
Christicolas sanctos, sobolemque fidelis Abrami,
Quos tibi non vili pretio, sed sanguine fuso
Innocuo gnati unigeni, sanctique redemptos
Antiqui imperio colubri, tristisq; Gehennæ
Fecisti hæredes vitæ, cœloque beasti.
Tu me degentem densâ in caligine, cœno
Mundanæ hærentem sordis, per devia cæcum
Duxisti errantem, sacrosancti ad lampada Chrsti

 Splendidam

Splendidam Euangelij , collustrans mentis ocellos
Verbi luce tui , clarè vt discernere possem,
Tartareos Papæ fumos, queîs fascinat Orbem,
Purpureæ & fraudes Meretricis, pocula dulci
Aurea, lethifero sed pocula plena veneno:
Pupillum tenuem, charisq; parentibus orbum
Cæpisti in gremium, curamq; ineuntibus annis:
Tu me ad Musarum sedes, & Palladis arces
Misisti, proprijs fouisti sumptibus, ac si
Emissâ è cælis dextrâ, mihi traderet illos
Angelus, aut celsis plueret de nubibus aurum:
Temporibusque famis, tu me cùm copia rerum
Deficeret, dura et multos vexaret egestas:
Cumq; homines larvarum instar, per compita passim
Clamarent, turpes macie, et squalore, petentes
Frustum vnum panis, plenè lauteq; cibasti,
Vix vt sentirem miseri ieiunia vulgi:
Tu multis haud retrò annis sæuissima pestis
Cùm vastaret agros, atque vrbem depopulata est
Londiniam augustam, nunc vt vix vlla subesset
Sana domus, quâ non luctus, gemitusque sonarent
Assidui, et quam non truculenta intrauerat hostis,
Et miseras edens strages, complêrat acerbis
Funeribus septem ter mille cadauera soles
(Mira at vera loquor tristi eduxêre feretro.)
Meq; meamq; domum sartam, tectamq; manere
Iussisti, medijs cinctam licèt ignibus, vnus
Quos tenuis paries tantũ secreuerat (altos

Vicinis

Vicinis gemitus morientûm audire licebat
Aedibus) & quenquam vetuisti lædere nostris
E famulis, gladiū aut rutilantem intendere in artus
Cælestem Armigerum, populū qui strauerat omni ex
Parte, & mortiferas inflixerat vndiq; plagas.
Mille meâ dextrâ, mille & cecidêre sinistrâ,
Saluus at ipsus eram; (magè quod mirabere) ad ædes
AEgrorum itaui, haud manibus tractare recusans,
(Nec tamen vlla luis sensi contagia) tetros
Nidores hausi crebrò, fædosq; vapores
Impunè, illæsus. O quanta hæc gratia! Quantus,
Quàm diuinus amor fuit hic! meminisse iuuabat
Elogium sanctum, charis quo Christus alumnis
Angues calcandi tortos, aconita bibendi
Lurida, et omnigenos superandi vim dedit hostes.
Hæc mihi (si cuiuis) verißima præstitit acer
Ille Leo sacrâ Iudæ de gente, triumpho
Qui veterem duxit colubrum, portasq; Barathri,
Ille (inquam) mundi magnus seruator Iesus.
Tu nostram, Scyllam mediā, sæuamq; Charybdim
Tranantem, saluam statuisti in littore cymbam.
Naufraga (spectaclum miserū) vidi agmina multa
Vorticibus rapidis mersa, et iactata per vndas,
Per varios casus, per mille pericula, vitæ
Infesta humanæ, saluum tectumq; tulisti.
Portio tu mea semper eris, clypeusque, salusq;
Tu turris munita, et inexpugnabile asylum.
Magna quidem memorata suprà, maiora sequuntur;

 Omnia

Omnia, quod superest, superat: nuperrimè ab ipsis
Inferni portis, immanis & ore sepulchri
Hanc animam (tibi quæ laudes cumulare vicißim
Tota effusa cupit) Bonitas immensa reduxit,
Cùm sævus fragiles morbus depasceret artus,
Cordi Principio vitæ, & Pulmonibus atrum
Exitium teneris minitans, cùm membra liquaret,
Exurens carnes febris, vix ossa relinquens,
Fecerat exuccum sceleton, viuumq́; cadauer.
Noctes atq; dies dolor intensißimus omnes
Attriuit vires, cum languida crura tremores,
Et reliquos quaterent artus, iam, iàm ruituram
Narrantes luteam fabricam, præ limine Mortem
Ancipitem stringentem ensem, quo stamina vitæ
Scinderet, in tenues animam dimitteret auras.
Nox optare diem veniens me sæpè coegit,
Ad veniensq; dies, noctem sperare quietam.
Nulla quies, non vlla tamen cessatio morbi
Funesti, extremum at minitantia cuncta periclum:
Dicebam abscissos annos, tetricasq́; Sorores
Vitæ fila meæ subitò rupisse, nec vnquam
Me visurum homines viuentes ampliùs, horâ
Omni obuersabat tristißima mortis imago.
Me tamen iratus quamuis sit visus apertâ
Fronte Deus, virgamq; manu, gladiumquė teneret
Occultò, toto hoc complexus tempore amore est,
Et dedit obscuri haud quam plurima signa fauoris,
Immiscens dulci mihi tristia pocula melle:

Præcones

Præcones verbi misit, qui sæpè iacentem
Alloquio sacro solentur, votaq́ fundant
Feruida, vt ignoscens vitijs, mihi tempora vitæ
Protraheret Deus, & iustâ cessaret ab irâ.
Sed nec amica manus Medicorum defuit, arte
Pæoniâ lenire malum, & depellere multis
Solliciti ingenijs: mihi chara, & sedula coniux
Insomnis peragens noctes, fidiq́ ministri
Assiduè astabant; fratrum quoq́ gratia summa
Visentûm affulsit crebrò, & bona cuncta precantũ.
Deniq́ nil deerat Rerum, quas postulat vsus,
Pharmaca seu spectes, seruos, salubremue diætam.
Non diues meliùs, Satrapas, magnusue Dynasta
Curari poterat; largâ sic singula dextrâ
Præbuit omnipotens: sic dulcia miscet amaris.
Dirus at intereà morbus crudeliter omnes
Inualidi partes vastabat Corporis, Hepar
Immemor officij, iam non mittebat alendis
Purpureum membris succum, Cor, fons & origo
Arebat vitæ, fumantibus ignibus vstum.

Ast tandem omnipotens (bonitas cui pristina cordi)
Aerumnas serui respexit, & Atropon istis
Compellat verbis: Non est locus ampliùs iræ,
Quin promptã tu siste manũ, mihi parcere certũ est
Huic animæ, atq́ iterùm vitalem infundere succum,
Tabificos artus, siccata humescere membra:
Quippè meo imperio mors, vitaq́, paret & Orcus

Illa nouum molitur opus, Clotho, Lachesisq́;
Inspissat filos tenues hæc, altera versans
Producit digitis, solitâque statuminat arte.
Spiritus actutùm exhaustus, et languida virtus
Erexit sese paulatîm, carnea moles
Crescere, et immanis sensím discedere morbus
Cæpit, vt arescens arbos, quæ tempore brumæ
Horrida, nuda comam, squalēs, quasi mortua, rursus
Vere nouo lætos profert cum germine flores.
Vtq; puer nuper natus procedere primùm
Paulatím didici, charis suffultus vtrinq́;
Hinc atq; hinc socijs, lentos dein scipio parvus
Firmabat gressus, pedibus confidere tandem
Ausus sum proprijs, consuetaq́; munia obire,
Artis Apollineæ, tractare negotia, tantis
Intermissa malis, solitos et ferre labores.
Sed miser heû nimium (quid enim tacuisse iuuabit)
Heû nimiùm vecors, et demens, discere tantis
Haud potui monitis pietatem, temnere mundi
Illecebras, totum me Christo tradere, rursus
Vt canis ad vomitum redeo, peccata resumo
Pristina, auaritiam, luxum, curasq́; profanas;
Hinc noua me penè tempestas obruit iræ
Diuinæ, immani subitò quæ gurgite cymbam
Lassatam, medijsq; ferè submerserat vndis.

Fabrorum dum nuper agrum pertranseo, ad ædes
Festinans proprias, incautus, devius, audax

Heû

Heû nimis in medias miserū me immittere turbas,
Ecce duo iuvenes cursu certare parati,
Et celeres impellere equos, dicto ocyùs in me
Incursant, rapido volitantes turbine corpus
Debile subuertunt, vi maxima et impete calcant
Sub pedibus, cæno inuoluunt vestesq́ caputq́
Artubus attritis dextris, genibusq́ sinistris,
Seminecem linquunt: qui me vidêre ruentem
Exanimem prorsus credebant, illicò Honesti
Astantes properè me circumcingere quassum
Tollere humo satagunt, manibusq́ levare iacentem
Vicinamq́ inter sese adduxêre tabernam
Attonitum subito casu, ingentiq́ periclo.
Me postquam paulò collegi, pergere ad ædes
Ardentèr proprias opto, moriturus in illis.
Maluatico pauco recreatis viribus, ipsum
Me committo viæ, tardo testudinis instar
Incedens gressu, socijs suffultus vtrinq́.
Optatâque domo potior (tua sic mihi fulsit
Gratia, summe Deus, tanto me amplexus amore es)
Perculsam vxorem (præmissus nuntius omnem
Narrârat casum) flentem præ limine gnatum
Conspicio, squalore domum, luctuque refertam.
Illicò conscenso lecto, medicamina sumo
Intùs et externè contusis artubus apta:
Sicq́ brevi spatio saluus, sanusq́ revertor
Officij ad soliti curas, medicosq́ labores.

Alme Deus, quanto citiùs mea carmina possint
Autumni frondes numerare, aut Sydera cœli,
Quàm tua condignis benefacta recludere verbis?
Quid faciam? Quò me vertã? Quæ deniq; ad aras
Dona feram sacras? tibi qnæ libamina fundam?
Impar ego meritis diuinis, reddere dignas
Quî potero, cùm non poßim comprêndere grates?
Ingratus viuam, moriarq́; ingratus: at vnum
Hoc voueo sanctè (modò sit tua gratia præstò, &
Hanc animam, nunquã vt vetera in peccata relabar
Spiritus afflatu seruet, dextraq́; potente)
Spondeo me memorem semper fore; semper amores
Ore animoq́; tuos vigilans, recubansq́; reuoluam.
Hæreat antè meo languesceus lingua palato,
Immemor officij dediscat scribere dextra,
Antè & læthali mens torpeat ægra veterno
Quàm tuus è nostro labatur pectore tantus
Tamq; insignis amor, bonitas, patientia, virtus:
Nec solùm laceris tua tradam encomia chartis,
Garrulæ & assiduo celebrabunt carmine Musæ.
(Non tamen hoc deerit studium) sed vita, manusq́;
Te, nomenq; tuum, noctesq; diesq́; sonabunt.
Immemor antè mei sim Nominis, immemor artis
Pæoniæ, Charitum, dilectarumq́; Sororum
Pieridum, primis colui quas vnicè ab annis:
Immemor antè domus propriæ, chariq; parentis,
Vxoris, gnati, sociorum, aut charius istis
Si quid fortè siet, me viuere deniq; & aura

Aetherea vesci prius obliuiscar, ab isto
Pectore quàm tanta abscedat Clementia, tantus,
Tam diuinus amor, Bonitas tam immensa fidesq́.
Quin (tu summe Deus) postremis annue votis,
Quassatam scopulis cymbam procul, ô procul illis
Flectere da posthac, queîs penè illissa profundis
Gurgitibus subitò absorpta est, & mersa sub vndis
Nauigium lacerum placidè spirantibus Euris,
Dirige ad æternæ, portum, veræq; Salutis,
Naufragium in portu vitem, nec calce sub ipsa
Deficiam, indoctus veluti segnisq; Poeta
Da lætum extremo & faustũ mihi Plaudite in actu,
Sit mihi Pax finis, mihi sit mors, Vita, Triumphus.

Amen per Ch. Ies.

Κατὸπτρον





Κάτοπτρον ὑπερηφανίας.

Quid fuisti? Sperma putidum.

QVid fastu turgescis homo? Quid vane superbis?
Fac vitæ spectes ordia prima tuæ.
Sperma olim fueras fluidum, distentaque flatu
Bullula parua, loco clausa perexiguo.
Exiguo, vilique loco, seu carcere opaco
Vrina hàc, fœces hàc tibi Murus erant.
Nunc animo ingenti totus vix sufficit Orbis,
Non domat auratam Persica Gaza sitim.

Quid es? Vas stercoreum.


Dum tamen immisces cœlum, terramque tumultu,
Tu quid es intereà, vas nisi stercoreum?
Aures, Os, Nares, reliqua emunctoria clarè
Hoc monstrant; nigros inspice (Pauo) pedes.

Quid eris? Esca vermium.

Et quid eris lapsis paucis modò mensibus? audi,
Vermibus esca putris, Terra, cinis, nihilum.
Ista dies simul & noctes meditare (superbe)
Nec posthac plumas pandito (Pauo) tuas.
Tu noli (Suffene) ipsum te credere Magnum,
Ast humili potiùs Mente verere Deum,
Qui te, qui Cœlum, Terras, Maria, omnia verbo
Formauit, nutu perdet & ista suo.

En quî superbis (Homuncio) inter excrementa nate?






Ad Mecænatem Ecloga.

Tityrus. Corydon.

T. MVnera dic (Corydon) cui cudis talia demens?
C. Munera quæ polio, claro mittentur Alexi.
T. Rusticus es Corydon, neq; munera curat Alexis.
C, Munera non curat, sed curat carmina Alexis:
Illa amat, & nostram (quamuis sit rustica) musam.
T. Carmina si placeant, non desunt carmina Iolæ.
C. Forsitan & nostros etiam non spernet amores.
(Candide, mitis Alexi) nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me deniq; cogis?
T. O Corydon. Corydon, quæ te dementia torquet?
C. Inueniam nullum si me hic fastidit Alexis.
T. Inuenies alios si te hic cōtemnit, in vno
Pastorum positæ nunquam, Spes Resq; fuere,
Excipias magnum si Caulæ ποίμνα Iesum.



De lite inter Medicos Lond. & Antonium de auro potabili.

MIraris fuluum lites mouisse metallum
Musarũ in claustris, Phæbigenũq; Scholis?
Desine: nam Medicos neque concertare, nec
Mortales inter bella ciêre, nouũ est. (Aurũ
Aurum omnes cupiunt, captant, placet omnibus aurũ.
Hæc Helena est: rapiunt vtraque secta sibi.
Antonius liquidis simile hoc vult reddere lymphis,
Atque Midæ auratis pascere nos dapibus.
Internis Aurum vim magnam afflare Medullis
Præcipue Cordi, nemo negare potest.
Ast alij has artes, aurumque putabile rident,
Et quod portatur, gratius esse putant.
Hôc vacuas potius satagunt implere crumenas,
Tantaleamq; student sic satiare sitim:
Nec minùs arcanæ reputant Virtutis in auro
Quòd modò gestatum multa stupenda facit.
Claustra pudicitiæ soluit, secretaque Regum
Pandit, amicitiæ dissuit omne genus.
Virtutem, formam, vires largitur, & arces
Expugnat clausas, ardua cuncta domat.
Nil mirum idcircò est Aurum pallescere: cuncti huic
Tendiculas figunt, insidiasque struunt.
Iuridici, Medici, qui sacra oracula tractant,
Heù nimiâ Idôlum hoc ambitione colunt.

FINIS.

Cen

5

Cenz